





DISSERTATIO ACADEMICA ⁵⁶ ²⁰
QVA
SINGVLARIA QVAEDAM
CAPITA DOCTRINAE
DE ¹⁷²⁹ ¹⁷
JVREI VRANDO
IN SPECIE
DE
IVRAMENTIS MINORVM
ET IMPVBERVM

PRAESIDE
**GODOFR. LVDOVICO
MENCKEN Jcto**

ACADEMIAE H. T. RECTORE MAGNIFICO
ET ORDINIS ICTOR. PRO-DECANO
PANDACTAR. PROF. PVBL. CVRIAE PROVINC. SCABINATVS
CONSISTORII ECCLESIASTICI ET FACVLT. IVRID. NEG.
NON IVDIC. DVCAL. IN MARCHIONATV LVSAT.
INFERIORIS ASSESSORE
IN ACADEMIA VITEBERGENSI ⁸
AD DIEM XXIII SEPT. MDCCXXIX.
HORIS CONSUVETIS IN AVDITORIO IVRIDICO
DEFENDET

AVTOR-RESPONDENS
CHRIST. FRIDR. FREISLEBEN
GLAVCHA-SCHOEMBVRGICVS.

VITEBERGAE, LITTERIS GAEBERDTAE, VIDVAE.

DISSERTATIO ACADEMICA

IN
SACRA ACADEMIA
CAPITULA DOCTRINAE

FRANCISCAE
VIRI RICHARDI

DE
MORALIUM
ET IMPERII

FRANCISCAE
FRANCISCAE

FRANCISCAE
FRANCISCAE

FRANCISCAE
FRANCISCAE

FRANCISCAE
FRANCISCAE

FRANCISCAE
FRANCISCAE

FRANCISCAE
FRANCISCAE





§. I.



Doctrinam de iuramentis apud
omnis aevi Doctores decantatis-
simam, & usu fori tritissimam, ac
fere quotidianam esse, in vulgus
constat: Sed & eandem nihilo-
minus multis praeiudiciis impli-
citam esse, ex praesenti nostra
Dissertatione Academica fortasse constabit.

§. II.

Cum autem, quod semper fieri solet, ea, quae in
hac materia falso afferuntur & disputantur, maxi-
me ex definitionis vitio promanuerint, huic primo
medendum est, antequam circa ipsas conclusiones
quaedam moneamus. Iuramentum igitur ex nostra
sententia est: *Affertio religiosa, qua quis iam obligatus de-
clarat, se intelligere obligationem suam, & si falsum dicat,
diuinam iram in se deposcit.* Familiare quidem est le-
vis animi hominibus, etiam narratiunculas & iocos
eiusmodi religiosis asseuerationibus confirmare, vt
adeo

adeo quis existimare possit, in iuramentis non necessario supponi obligationem. Sed cum in moralibus veri fines, non ii, quos hominum vanitas vel consuetudo pro finibus falso habet, spectandi sint, merito iuramentum non tantum per assertionem religiosam, qua quis, si falsum dicat, diuinam iram in se deposcit, definire debuimus.

§. III.

ETsi autem hoc modo constet, iuramenta circa obligationes versari, illud tamen adhuc dubium videri potest, an obligatio necessario praecedat iuramentum, vel an forte etiam ex iuramento demum sequatur obligatio. Id quod ex natura pactorum decidi oportet. Ista scilicet locutio: *Iuramenta producere obligationem*; alium sensum habere non potest, quam, an pactum alias non obligatorium, ex hac sola ratione, quod iuramentum accesserit, obliget. Si enim prorsus nullum pactum adest, iuramentum sine caret, adeoque iuxta superius dicta non tam pro vero iuramento, quam pro impio & stulto sermone, quo leues & haud raro stupidi homines verbis suis pondus & decus quoddam conciliare satagunt, habendum est. Si autem pactum obligatorium iam adest; obligatio, quae iam acquisita est, ex iuramento demum nasci non potest. Quando igitur pactum non obligat, id vel propter qualitatem obiecti, de quo paciscimur, vel personarum paciscentium, contingit. Quo, ratione prioris, pertinent omnia facta illicita & turpia, in iure civili specialius determinata, vt pactum commissorium, de quo

ta litis, de maioribus vsuris foluendis &c. ratione posterioris, defectus in intellectu & libertate voluntatis contrahentium, & inde natae exceptiones in foro, doli, fraudulentae persuasionis, furoris, demeritiae, impubertatis, &c. Causis, quae apud Romanos obligationem impediabant, recensendis merito superfedemus, quod illae nec ex natura pactorum oriuntur, nec amplius in foris Germanorum in vsu sint. Istaе autem, quas enarrauimus, in iure naturae sunt fundatae. Iam vero, quando ius naturae impedit obligationem, nulla existere potest, quia omnis obligatio, primario est ex iure naturae, & qui obligationem intendit, vbi nulla esse potest, frustra, qui & Dei iram, si non adimpleatur, inuocat, profane & impie, agit.

§. IV.

NEque tamen ideo, quod iuramenta nouam obligationem non producere, diximus, existimandum est, ac si prorsus in classem actuum frustraneorum referenda sint. Nam & ipsa pacta obligationem supponunt, nec, si rectius pensites, pro causa vnica & primaria obligationis, vti vulgo creditur, haberi debent. Id quod & a priori, quod dicunt, & a posteriori facile demonstratur. A priori scilicet, quod nempe obligatio sit restrictio liberae voluntatis, quae aliam causam extra se, i. e. superiorem requirat, voluntas autem hominum non sit se ipsa superior, adeoque obligatio a propria voluntate incipere non possit; a posteriori, quod nulla ratio dari possit, quare e.g. assassinorum & assassi-

⁶
 affassinorum praedonumque pacta illicita sint, si voluntas hominum prima esset causa obligationis. Scilicet omnibus hominibus erga omnes homines ex iure naturae indefinita incumbit obligatio partim, ne laedant, partim, ut prosint. Cum autem actu omnibus prodesse in vnus viribus positum non sit, facile patet, satisfecisse nos obligationi nostrae, si hunc vel illum officii nostris adiuuemus; id quod etiam absque facto fieri posse, videtur: Sed cum hoc modo nemo ab hoc, vel altero, certo & tuto officium expectare possit, cum iste alter fortasse iam alii officium illud promiserit, vel, quod illud praestare non possit, obtendat, de cetero necesse sit, subsidia rei gerendae in tempore circumspicere; quisque sibi ab hoc vel illo indiuiduo officium stipulari debet, id quod pacta vocamus, quae & iure naturae & ciuili confirmata sunt. Interim cum ea sit hominum leuitas, ut & promissorum fidem fallere, si non artis & prudentiae, tamen certe pro peccatillo saltem habeant; metu religionis praesenti, id est, per iuramentum arctius constringi, vel potius obligatio, & contrauentionis poena illis efficacius repraesentari debebat. Exinde in conscientia homines obligari dicunt, quod hoc sensu tolerari potest: quod nempe homines suae obligationis alias immemores, & de ista adimplenda se non adeo sollicitos esse debere, falso iudicantes, eo ipso, quod Deum vindicem (qui quidem perfidos, etiam id non flagitantes, puniturus fuisset) exorent, obligationem suam & poenam perfidiae melius pendere credantur.

§. V.

Cum haec ita se habeant, haud difficulter de definitionibus iuramenti, quae apud Philosophos & Ictos occurrunt, iudicium ferri potest. Ex **ARISTOTELIS** sententia iusiurandum est: *Afferrio, quae fit cum assumptione testimonii diuini, & vltiori demonstratione vel probatione non indiget. Rhetor. ad Alexandr. c. 18.* **STRVVIVS** illud ita definit, quod fit: *Religiosa rei alicuius asseueratio, legitime facta per invocationem Dei in testem.* Ut autem hic taceamus, formam iuramenti non recte indicatam esse, cum in illis Deum non vt testem, sed vt vindicem (id quod ex verbis: So wahr mir Gott helffe, patet,) inuocemus: vtraque istarum definitionum saltem metaphysica est, non causalis, id est: Externam quidem actus formam, sed non moralitatem & finem exponit. Quare exinde quoque vel nullae, vel non nisi falsae conclusiones morales elici possunt. Vel enim in quaestione, quae iuramenta licita aut illicita, seruanda aut non seruanda sunt, prorsus silendum, vel si ex istis definitionibus decidi debeat, iuramenta quoque de rebus illicitis, vi metuae extorta, seruanda esse, pronuntiandum est. Declinare quidem hoc *ἀπορώ* **HVGGO GROTIVS** annis est, dum in Commentariis de *J. B. & P. L. II. C. 13. §. 14.* Homini quidem, cui iuratum est, si illi aliquid possit opponi, ius ex iuramento denegat, cum tamen, Deo obligari, vt stet iureiurando, asserit. Quo autem magnus ille vir nihil agere, & Ciceronem immerito notasse nobis videtur. Licet enim pro Grotio, qui praedonibus iuramento pactum pro capite

pretium afferendum esse, statuit, dici possit: quod illud sit officium indirectum, quod quidem praedoni praestaretur, cum ius sit in Deo; cogitandum tamen est, indignum atque ingratum Deo munus esse, quod illi invito obruditur: Nunquam enim velle Deum, credi potest, ut homines malitiae suae mercedem reportent, & consequenter in ista magis confirmentur. Nihil magis efficiunt, qui, dum huic incongruo quoque mederi volunt, iurantem postea remissionem iuramenti a Principe petere oportere, statuunt. Si enim Deo ius quaesitum, nulli homini, adeoque nec Principi liberum est illud remittere.

§. VI.

Porro, quid ex eiusmodi definitionibus illis, qui reservationes mentales, uti vocant, licitas esse afferunt, opponi possit, prorsus nihil est. Si enim obligatio antecedens non supponitur, sed iuramentum tanquam negotium, quod solum cum Deo geritur, consideratur, id utique magis coram Deo valebit, de quo iurans cogitat, quam quod ore proloquitur, cum Deus sit iudex cogitationum, & cor respiciat. Si autem obligatus iam ante iuramentum est, & iuramento saltem declarat, se de obligatione sua cogitare, sequitur, quod declarationem de re alia animo facere non debeat. Vel enim est assertorium, rem uti est, fateri obligatur, ne alter exinde laedatur: adeoque aliud cogitando ab obligatione se liberare nequit: aut promissorium; tum esset contra fidem pactorum, aliter loqui, aliter sentire: cum alter iurantis cogita-

tionem diuinando assequi non possit, sed verbis illius fidem habere debeat, adeoque absque sua culpa, si iurans istis non steterit, damnum incurrat.

§. VII.

HOc vero iuris naturae praeceptum, quod scilicet iuramentum semper supponat obligationem, seu, quod idem est, nullus actus invalidus per iuramentum convalidari possit, ius Civile Romanum & agnovit, & ulterius confirmavit. Nam licet Iure Civili specialis Actio & Exceptio ex iureiurando detur, id quod vulgatus Canon: *Præstito iuramento, nihil amplius quaeritur, quam an iuratum sit;* probat; Exinde tamen haud magis concludendum, iuramentum esse modum novum ius acquirendi, quam eo, quod post rem iudicatam & lapsum termini probatorii lis sit finita, haec duo esse media novum ius acquirendi, vel obligationem veterem tollendi. Vtrinque enim alia ratio est: Ne scilicet lites fiant immortales. De cetero autem generaliter, quoties pactum a iure communi remotum sit, servari non oportere, nec iusiurandum de hoc ad actum, ne quis agat, servandum esse, **VLPIANVS** cum **MARCELLO** in *L. 7. §. 16. ff. de pactis.* confidenter pronunciat. Egregia quoque sunt, quae **BALDVS** habet; Iuramentum nec addere aliquid actui, super quo interponatur, neque obligationem augere vel extendere *ad L. si procurator ff. de Condict. indeb.* Certum itaque est, Leges Romanas actibus a se prohibitis per iuramenta valorem conciliari passas non fuisse. In iis tamen casibus, ubi leuitatem animi & defectum deliberationis in paciscentibus supponerent, istum per iuramentum demum suppleri crediderunt.

B

d ide-

diderunt, id quod factum est in renunciationibus iuratis mulierum. FRIEDERICVS I. in *Aurbenica. Sacramenta puerum C. si aduersus vendit.* idem in minoribus fanciuit.

§. VIII.

Sed si recte rem perpenderit, istae speciales sanctiones quoque fundamento carent. Aut enim iuramentum id efficere debebat, vt obligarentur personae alias non obligatae, aut vt deliberatius res agatur, & personae istae de exceptionibus sibi alias competentibus melius instruantur. Si primum asseritur, quod a DD. passim fieri solet, falsum est, iuramentum nouam obligationem producere, per ea, quae §. 5. hac de re disseruimus. Quibus & sequens argumentum addi potest. Res, quae in promissionem venit, vel est licita, vel illicita; si licita, nulla dari potest ratio, quare ex pacto super re licita inuito obligatio nasci non possit, & iuramentum adhuc requiratur: Sin illicita, profanum & impium est, ad istam iuramento se obstringere. Quod autem secundum attinet, iuramentum non informat, sed iudex. Quid ergo iuramentum hic praestat, quod sine illo obtineri non poterat? forte adhuc illud, ne persona, quae iurauit, exceptionibus suis vtatur. Mirus sane effectus: quasi scilicet à iurante, & non a lege penderet, eiusmodi exceptiones pro validis aut invalidis agnoscere. Si autem a lege & iudice pendet, quid opus est iuramento? Idem prorsus est, ac si hominem pedibus mutilatum iuramento adigere quis velit, ne choreas ageret. Diximus quidem supra, iuramentum efficacius repraesentare obligationem. Sed illud saltem in as-

ser-

fertorio, vbi veritatem rei non aliter, quam per iuramentum indagare possumus, valet. Iuramenta autem, de quibus nunc sermo est, sunt promissoria, de quibus forte haud male asseri posset, quod rectius abrogarentur; cum alium vsu non habeant, quam vt perfidi etiam reddantur periuri.

§. IX.

ANTONIVS MERENDA *L. I. Controvers.*
c. 1. acute hac de re pro more agit, & haec duo simul consistere posse, vt contractus sit invalidus, & quod vinculum iuramenti non possit relaxari, ita nimirum, vt per eiusmodi iuramentum saltem persona iurantis, non heredis obligetur, asserit. At nobis ingeniosa magis quam solida conciliatio ista videtur. Primo enim contractus, qui ratione contrahentis valet, invalidus dici non potest. Deinde Autorem *Au-
 thenticae Sacramenta puerum*, saltem personam minoris, non heredis, obligari voluisse, valde est diuinatorium, nec regulis bonae interpretationis conuenit. Aliam conciliationem DVARENI, DONELLI, PACII, & PEREZII, qui inter contractus minorum de re peritura, & non peritura, distinguunt, refert, sed recte reiicit WISSENBACHIVS *Exercit. ad ff. Disp. XIV. Lib. IV. §. 23.*

§. X.

IVs Canonicum hic in omnia alia iuit, & iuramenta pro vniuersali remedio obligationes iure civili inualidas confirmandi, venditat. Id quod pro singulari Cleri Romani artificio habendum est, cum eo ipso Pontifici Summo potestatem, in Principum leges grassandi, easque pro lubitu mutandi quaerere,

nec minus omnes fere causas ad fora ecclesiastica trahere studuerint, quod de obligatione per iuramentum cum Deo contracta nemo melius, quam illius in his terris Vicarius iudicare possit. Praecipit itaque Ius Canonicum omne iuramentum, cuius observatio non sit aduersa spei salutis aeternae, custodiri, *Cap. si vero 8. cap. cum contingat 28. X. de iureiurando Cap. breui 16. X. eod. ex hac se. ratione, quod Pontifex noluerit dare materiam veniendi contra iuramentum, ne videatur fieri autor periurii. Sed umbram timet Sanctus Pater. Non magis enim periurium dari potest absque iuramento obligatorio, ac contrauentio contra pactum vel obligationem, si pactum validum non praecesserit. Iam autem ex iuramento nouam obligationem non nasci, supra demonstrauius. Apposite hac de re HVBERS hunc in modum disse-* rit: *Caesar vetat ea, quae legibus sunt prohibita, iuramento confirmare, hoc est, non praebet se quidem periurii autorem, sed priuat eiusmodi iuramentum omni effectu legali & iudiciali, quod licere Principi non est dubium. Et magna profecto laceraturus esset iniuria dignitatem & potestatem Imperatoris & Principum Rom. Imp. is, qui offerere aude-* ret, ius Canonicum derogasse huic legi iuris Ciuilis.

§. XI.

ANtequam autem ad iuramenta minorum & im-
puberum descendamus, varias iuramentorum
species prius percensere, & circa illas quaedam mo-
nere constituimus. Summa igitur iuramentorum di-
uisio est in promissorium & assertorium, quae & suo
fundamento non destituitur. Vel enim agitur de iu-
re acquirendo, vel probando. Ad acquisitionem iuris per-

pertinet iuramentum promissorium, ad probandum assertorium. Iuramentum promissorium subdiuidendi fundamentum extat quidem, illud scilicet quod desumitur a personis illud praestantibus, sed conclusiones exinde deducendae haud magni momenti sunt. Praestatur enim iuramentum, vel a Principibus, vel a priuatis. Ad illa pertinent, capitulationes Imperatorum iuramento corroborari solitae, & iuramenta Principum, quibus sub auspiciis dominationis priuilegia & iura subditis suis confirmant. Iuramenta priuatorum praestantur vel Principi, vel priuatis. Principi, quando vel minus quoddam desert, vel ob alium nexum iuramentum exigit: priuatis, cum quibus contrahunt. Ad priorem speciem spectant iuramenta a Consiliariis aliisque ministris atque administratoribus, item hominibusque iuramenta fidelitatis, nec non religionis praestandae. Vbi circa vltima obiter notamus, illa, quod primo intuitu videri posset, vim conscientiae non inferre, cum apud protestantes non absolute perfectione in religione promittatur, sed saltem conditionate, in hunc plerumque modum: *Daß, wenn sie durch Gottes Verhängnuß von der wahren Religion abtreten würden, sie solches der Landes-Herrschaft zuvor anzeigen, und von selbiger weitem Bescheid gewarten sollten.* Ad posteriorem speciem pertinent iuramenta contractibus adiecta.

§. XII.

Quando iuramentum praestatur probandi iuris causa, assertorium est, & tunc iudex spectare debet, ut (1) & veritas ipsius rei controuersae eruatur, & (2) in ipsa lite, seu modo procedendi, vexae evitentur.

B 3

Quod

Quod ad (1) attinet, ante omnia norandum, quod iuramentum praestetur (L.) ab illis, quos res non tangit, quod est testimoniale, vel ab illis, quorum interest. De cetero veritas rei vel ita est comparata, vt non aliter, quam per iuramentum probari possit, vel vt iuramentum cum alia probatione coniungatur. In posteriore casu iuramentum istam aliam probationem vel antecedit, vel sequitur; Si antecedit, iuramentum est, quod alteri, contra quem praesumptio documentorum, penes se existentium, quibus aduersa pars opus habet, militat, deferri solet; si sequitur, duae dantur species iuramenti, quod dicunt, a iudice delati, suppletorium scilicet vel purgatorium. Priori casu vel totus status controversiae, fundamentum scilicet petendi, & res, quae petitur, per iuramentum probari debet, quo pertinent omnia iuramenta a parte alteri super tota actione delata, quae & litis deciforia appellant: vel rem saltem, aut quantum rei iuramento probare necesse habemus; tum iterum vel solum ex natura negotii ad iuramentum devenitur, vel praeterea factum alterius illicitum accedit. Ad primam classem pertinet iurata specificatio hereditatis: in altera factum illicitum, vel est dolus, vel culpa lata, & tum obtinet iuramentum in litem, quod pro qualitate rei, quae in quaestionem venit, vel veritatis est, vel affectionis, ratione cuius iuramenti scilicet in litem, pro singulari habendum, quod actor iuret; vel est vis, quo spectat de iure civili iuramentum Zenonianum, iuramento in litem in eo simile, quod etiam actor iuret; de iure Saxonico iuramentum minorationis, quod quidem reus praestat, ita tamen, vt actor liber sit a iuramento

to calumniae. Quando autem (2.) finis iuramenti is est, vt vexae in modo procedendi euitentur, vexae istae vel a partibus metuuntur, vel a iudice. Si a partibus, iura illas vel in genere statim sub ingressum litis, vel in specie in hoc vel isto articulo processus, auertere studuerunt. Prius est iuramentum calumniae generale, ad posterius spectant iuramenta calumniae specialia, vt pote de iure ciuili, iuramenta dandorum & respondendorum, de iure Saxonico iuramenta, quae illis iniunguntur, qui temere appellare, leuterare, dilationes petere praesumuntur. Si vexae a iudice metuuntur, iuramentum perhorrescentiae obtinet.

§. XIII.

GERHARDVS TITIVS in *Jur. Priu. L. 2. C. 15. ff. 5.* adaequatum quidem fundamentum diuidendi iuramentum assertorium inuenisse videri potest, quod scilicet vel ad lites *aestimandas*, vt iuramentum in litem, minorationis, Zenonianum, vel *promouendas*, vt malitiae, dandorum respondendorum, perhorrescentiae, vel *decidendas*, litis scilicet decisorium, & huius species extraiudiciale & iudiciale spectare tradat. Sed generalia saltem fundamenta diuisionis recensuit, subdiuisiones autem omisit, prout, si ista cum nostris diuisionibus conferantur, apparebit. De cetero & hoc nobis monendum videtur, magnum illum Ictum in eo prope lapsum fuisse, quod iuramentum assertorium obligationem ex lege, promissorium ex pacto semper respicere, affirmauit. Quando enim quis super pacto cum altero inito, quod per testes vel documenta probare non potest, iuramentum defert, nonne illud assertorium est? vice versa, si rustici Domino iurisdictionali

nali homagium praestant, quis ex pacto illos ad obedientiam obligari dixerit? pactum enim quidem constitutionem civitatum antecessit, sed nunc ex lege est, quod parere debeant subditi magistratibus. Aliud scilicet fundamentum supponi debet, nimirum, quod assertorium respiciat praeterita, promissorium vero futura. De cetero putaremus promissoria rectius exulare, vel enim factum, quod iurato promittitur, tale est, ut transgressio eius poena coercenda sit, vel non: Si hoc; id tamen, quod interest, alio modo petere licebit, adeoque iuramento non opus erit. Sin illud; poenam non timens, quae leuitas hominum est, iuramentum quoque non timebit, adeoque iuramentum alium effectum non habet, quam ut perfidum quoque faciat periurum. Tres species iuramenti hic tanquam adaequate sibi oppositae recensentur; iuramentum scilicet voluntarium, seu conventionale, quod per modum conventionis a parte parti deferretur, & libera voluntate suscipitur. Iuramentum iudiciale, quod a parte parti in iudicio, iudice comprobante, litis institutae decidendae causa deferretur, & necessarium, quod iudex alicui ad imperfectam suae intentionis probationem confirmandam & supplementam defert. Sed si recte attenderis, iuramentum iudiciale & necessarium sibi inuicem eo fundamento non sunt opposita, uti quidem iuramento voluntario seu conventionali. Vtrumque enim & iudiciale & necessarium non libere, sed vi praecedentis sententiae suscipitur, quod in voluntario sine illa fit. Vno verbo: iudiciale & ita dictum necessarium, species subditiuae esse, & diuisio hoc modo concinnari debebat, quod

quod scilicet iuramentum ratione susceptionis vel libere suscipiatur, vel non; Illud dicendum foret voluntarium, hoc necessarium, & iterum quidem subdividendum in illud, quod a parte, & quod a iudice defertur. Ne autem, quid etiam circa ipsum fundamentum diuidendi nobis videatur, praetereamus, solidius utique in facultate referendi, vel non, illud extare credimus. Qua suppositione Iuramentum in id, quod ab eo, cui defertur, absolute praestari debet, & in id, quod referri potest, diuideretur. Primum diceretur necessarium, & ad illud pertinet communiter dictum voluntarium & necessarium, cum in utroque relatio non sit permessa, alterum voluntarium, id scilicet, quod partes sibi deferunt, & regulariter referri potest. Habemus nobis consentientem IAC. CVIACIVM ad L. 1. 2. C. de iureiur.

§. XIV.

Divisio in iuramentum corporale & non corporale, ex ea omissa est ratione, quia a ceteris iuramentis non realiter differt, sed tantum quoad externos ritus. Iuramentum enim corporale dicitur, quod fit actu corporali, ore, erectione digitorum in maribus, & manus dextrae sinistro pectori impositione in foeminis. Appellatur ein Zierlicher, Gelehrter, Körperlicher, Leiblicher Eyd, & contradistinguitur scripto. Interim noxia apud vulgum, qui externis regitur ceremoniis, haec differentia esse potest, ut putent, in scripto periurium non committi, maxime cum videant, in legibus quibusdam scriptis eam obligationem, quae ex corporali conceditur, denegari, uti in renunciatione S^{cti} Vellej. de lure Sax. Electorali. Quod etiam dicendum de ceremoniis corporalibus superadditis, sc. accensione luminum, adhibitione sacerdotis &c. quae vel in omnibus rectius adderentur, vel abrogarentur.

C

§. XV.

§. XV.

Digrediamur nunc ad materiam de iuramentis pupillorum & minorum, de quibus in hac disceptatione prolixius differere nobis mens est. Anlam huic praebuit *§. 4. Tit. 18. Nouissimae Ordinationis Proc. El. Sax.* in quo hodierna praxis Electoratus Sax. a processu civili & Saxonico communi recedit.

§. XVI.

Antequam autem ipsam aggrediamur rem, axiomata aliquot hic sunt praemittenda. I. quod potius illi iuramentum sit deferendum, qui iuramentum veritatis potest praestare, quam qui credulitatis. II. Quod, si uterque aliud praestare non possit, quam credulitatis, id tamen ei iniungendum sit, qui plura fundamenta credulitatis prae se habet. III. Si hoc non appareat, licet tum ab eo semper videatur praestandum, quem causa principaliter tangit, tamen exceptionem hoc patitur, si is nondum iurare possit, uti pupillus & minor in certis annis, consequenter lis adeo sit protelanda, tunc igitur ille iurare debet, de quo praesumptio est, quod thema iurandum in praedictum alterius temere non sit confessurus. Si enim generaliter quis pro altero iurare possit, utique metuendum, ne, ut iuramento superfedeat, thema iurandum confiteatur; quae autem suspicio in tutorem, partim ob iuramentum tutorium alicubi praestari solitum, partim ob electam illius, vel a testatore, vel a lege, vel a magistratu, fidem non cadit. His igitur suppositis super actu, quem pupillus aut minor ipse celebravit, iuramentum deferatur, & tunc ratio ipsa postulat, ut pupillo potius iuramentum deferatur, qui potest iuramentum veritatis praestare, iuxta axioma I. vel iuramentum deferatur super actu, quem tutor ipse celebravit, & tunc potius tutori deferatur, ob eandem rationem, quia scilicet is potest iuramentum veritatis praestare; vel de defun-

defuncti actu quaestio est; & tunc pupillo deferendum. Nam vterque, & tutor & pupillus, saltem iuramentum credulitatis praestare potest, sed pupilli magis interest, iuxta axioma II. Distinguendum tamen inter actum, qui a pupillo in ista aetate intelligi potuit, & qui non; si posterius, tutorem vtique iurare praestat, ne lis trahatur; si prius & ex circumstantiis credatur, tutorem aequae vel melius tanquam defuncti amicum negotii scientiam habere potuisse, adhuc tutori; si autem hoc non fuerit, & isto tempore, quo parens istum actum gessit, infantiam iam excesserit pupillus, illi potius deferendum.

§. XVII.

Axiomata praecedenti §. proposita in iuramentis a iudice vel partibus delatis maxime usum praestant. Et hoc nobis sufficit, cum hac classe maxima pars quaestionum iuris contineatur, & *§. 4. O. P. S. R.* saltem de illis agat. Praeterea & fundamenta huius materiae in promissoriis supra *§. 7. seqq.* vti & in iuramentis testimonialibus pupillorum infra breuiter indicauimus. Obiter saltem dissensum Jctor. Saxonorum ab Ord. Criminali notamus, quoad Vrpheam, quam iuxta *art. 16. O. C.* praestare tenetur pupillus, ex obseruantia *fori Sax. minime. CARPZ. Pr. Crim. qu. 143. n. 24. & 39.*

§. XVIII.

Nunc videamus, quid Ius Romanum, Canonicum & Saxonicum, de hac re statuerit. Rationem legislationis HVBERS Praelection. *Jur. Ciu. ad tit. de iure iur. §. 10.* nostro iudicio optime assecutus est: *Consideratio, ait, quibus deferri iusiurandum possit, non a potestate eorum, quibus deferuntur, disponendi de rebus suis; nec etiam a grauitate religiosa iurandi, verum adhuc a libera dispositione de rebus eorum, qui deferunt, aestimari debet. Id quod*

verba Pauli in *L. 26. ff. de iureiur.* satis probant. Nihil
 se. referre, cuius *actatis* sit, qui iurasse dicitur, omni enim
 modo custodiri debere iusiurandam aduersus eum, qui
 contentus eo, cum deferret, fuit, quamuis pupillus non
 videatur peierare, qui sciens fallere non videatur. Re-
 spexit sic Ictus his verbis ad antiquam formulam iu-
 randi: *Si sciens fallo, tunc me Diespiter salva vrbe atque*
domo eiiciat, vt ego hunc lapidem. Vide hac de re **CV-**
IACIVM *L. 1. Obseru.* 21. & **GEORG. OBRECHT**
de iuram. Calumn. c. 10. Cum **PAVLO VLPIANVM**
L. 34. §. 2. h. f. confidenter, & vniuersaliter pronun-
 ciantem: *Pupillo non deferretur iusiurandum;* recte inter alios
 laudatus **HVBERS** in hunc modum conciliat; quod
 cum effectu consueto, vt vel iurare vel referre cogatur,
 deferri non possit. Nimirum referre prorsus non potest
 pupillus propter praeiudicium, si alter iuret, exinde me-
 tuendum, nec ipse iurare cogi, cum a voluntate illius
 pendeat, adeoque deferens tempus maiorenitatis ex-
 pectare tenetur. Nam nec adolescens seu minor cogi-
 tur. *L. 4. pr. ff. de in lit. iur.* Ceterum de industria Ictum
 praeterito **IURASSE** vsu esse credimus, dum de ef-
 fectu iuramenti praestiti, non de necessitate praestan-
 di, se loqui indicare voluit. Cum ita dicta *L. 26. PAV-*
LI pugnat quoque *Lex VLPIANI 4. ff. de in litem iu-*
randa. vbi pupillum si (quod **ILLVSTR. GERARD**
VAN NOOD ad h. t. non incommode per **QVIA** ex-
 plicat) impubes sit, non posse iurare, decedit, idque sae-
 pissime rescriptum esse refert. Sed **HVBERS** *dict.*
loc. Resp. ad Schol. **THOMAS.** easita componit, quod in
L. 26. ff. de iurei. sermo sit de iuramento ab aduersario
 nolente pupillo delato, cum iuramentum in litem, de
 quo *L. 4.* agit, aduersus inuitum praestetur. **D. VAN**
NOOD interesse, ait, quod illud ab aduersario, hoc a
 iudice

iudice deferatur. Vtraque conciliatio eodem tendit. Ex eo ipso enim, quod iuramentum in litem aduersus inuitum iuratur, sequitur a iudice id iniungi. Cessat nimirum in iuramento a iudice delato ratio, quod altera pars contenta sit pupilli iuramento, & causam ab illius facto iurandi suspenderit. Alia quaestio est de tutore, an cogendus sit ad iuramentum nomine pupilli praestandum. *VLP. IANVS L. 4. ff. de in lit. iurand.* negat, propterea, quod illis graue visum fuerit, & ignorantes & inuitos tutores sub alieni compendii emolumento etiam peritium anceps subire. Tres rationes paucis verbis hic proponuntur. Prima est; graue videri, ignorantibus tutores peritium anceps subire. Secunda est: inuitos compelli non debere. Tertia: quod alienum compendium hic versetur. Quod primam attinet, largimur, per se esse accidere posse, vt tutor ignoret pretium rei & interesse agentis. Sed poterat credulitatis iuramentum ad abbreviandam litem iniungi; cum & pupillus aliquando saltem de credulitate iuraturus fuisset. Secunda ratione principium petitur. Ad quaestionem enim, an tutor cogendus sit, respondet *ICTUS* negando, addita ratione, quod graue sit inuitum iurare. Nectertia ratio multum valoris habet: Si enim tutor ad commodum pupilli promouendum obligatus est, quod officii illius ratio vtique postulat, illud omnibus medijs licitis, eorum classe iusiurandum sine dubio est, efficere tenetur. Neque tamen hic praetereundum, dari casus quam plurimos, vbi in causis pupillorum vel minorum iurare oportet Tutores vel Curatores, scilicet quando non super quaestione principali & re in iudicium deducta, sed super articulis incidentibus, qui saltem ad modum procedendi pertinent, iurandum vel iuramentum ad liberationem tendit. Vid. *MARTINI Comment.*

ment. Forens. ad O. P. S. Tir. XIX. ff. I. n. 45. Sed quaeritur, an volentes sint admittendi. Ita utique videtur. Nam licet saltem *d. l. 4.* circa iusiurandum in litem illud affirmetur, ratio tamen ibi allegata ad alia iuramenta quoque quadrat.

§. XIX.

IN Iure Canonico neque de pupillorum, neque de tutorum iuramentis aliquid aliter cautum esse inuenimus. Nam *c. parvuli 14. & c. pueri 15. caus. 22. qu. 5.* saltem ne iurare cogantur, praecipit. Neque exinde, quod Ius Canonicum *c. ult. de iuram. calumn. in 6to & c. 4. de Procur. in 6.* iuramenta per procuratorem praestari permittat, id quod de iure Ciu. iam licuit, *L. 9. ff. 6. L. fin. ff. 2. ff. de iureiur.* ad iuramenta tutorum coneludi potest. Hoc enim interest, quod procurator volens iuret, in tutore autem de eo quaeratur, an cogi possit. Si enim officium hoc gratum pupillo suo vel adolescenti tutores vel curatores praestare volunt, (vt sponte iuramentum suscipiant) autoritas iuris non refragabitur, ait **VLPIANVS** *supra alleg. L. 4. de in lit. iurand.*

§. XX.

IVS Saxonicum non magis ac ius Canonicum sanctiones iuris ciuilis circa iuramenta pupillorum illorumque tutorum immutauit. Id quod & **CARPZOVIVS** ratione pupillorum ipse agnoscit. *P. I. C. XII. de v. f. 42.* Grauitati enim iudiciorum, (adde & doctrinae Christiani) minus conuenire, pupillos admittere ad iurandum & hunc quoque sensum esse praecudiciorum, quae refert **CARPZOV.** *P. I. c. 12. & Const. 24. def. 11.* recte nostro iudicio monet **THOMASIVS** *ad Haber. prael. 1. de iureiur. n. 10.* quanquam ex textu iur. Canon. *c. 1. c. 4. qu. 3.* id sequi non videatur. In testimonio enim tertii interesse versatur, & ratio, quae in iuramento delato aderat, quod deferens pupillo contentus fuisset, cessat. Sed ratione tutorum, licet in Curia Lipsiensi illos nomine pupillorum ad iurandum admissos fuisse, putat, retentiores ta-

men

men ab ista sententia rectius discessisse, propter duplicem iuristextum *Art. 46. L. 1. des Land- & Rechts- & G. es soll auch jeder &c. O. P. S. Tit. 18.* Verum enim vero prior loquitur saltem de foeminis, alter nimis generalis est, & iuramenta quidem per procuratores praestari prohibet, idque non absque causa, cum principalis meliorem notitiam regulariter habeat ac mandatarius, quae ratio autem in pupillo cessat, qui etiam pubes factus, non aliter, quam de credulitate cogi poterit. De cetero thesin iuris Rom quod tutores ad iuramentum in litem cogi nequeant; *vid. S. 17. in foris Saxonis non probatam, sed contrarium receptum esse, testatur idem CARPZOVIVS P. III. Decis. 265.*

§. XXI.

Ivs Nouissimum Saxonicum *S. 4. Tit. XIII. O. P. Recogn. de* iuramentis minorum & tutorum in hunc modum statuit. Primo minores, si decimum octavum, & in causis matrimonialibus ac impraegnationis, decimum sextum annum impleverint, ad iuramentum praestandum teneri. Pupillorum quidem nulla mentio fit, inde videri posset, ius Civile, quod illos volentes admittit, nec dum mutatum, adeoque illi hac in re adhuc standum esse; Verum praeter coniecturam THOMASII valde probabilem de sententia Scabiorum, & consequenter de obseruantia Saxonica, opinioni CARPZOVII refragante allegatam, *vid. supra initium annorum determinatorum, qui exacti esse debent, antequam ad iurandum quis admittatur, pupillos arceri insinuat.* Nimirum terminus a quo, est annus decimus octavus, quod sine dubio aetas 14. annorum nimis adhuc improuida & praecipua, ad unum actum tamen, in primis iudice explicante & monente, deliberato animo celebrandum, completa maiorennitas, vtpote quae ad omnia negotia, proprio consilio & absque monitore dirigenda, requireretur, necessaria non visa fit. In causis impraegnationum decimus sextus annus statutus est; quia nimirum maturitas corporis, quae delictum carnis committi effecit, habilitatem ad facti perpetrati confessionem quasi gignit, quamuis etiam probationis, in eiusmodi clandestinis, ac remotis aliis personis exercitis actibus, defectus cum negotii moram, non raro, haud serer. tis grauitate citiorem

rem annorum terminum postulare intelligatur. Deinde si inter plures litis consortes, quibus super capitibus omnes tangentibus iuramentum delatum, illum, vel illos, qui annum decimum octauum impleuerunt, etiam simul ceterorum nomine, qui ad istam nondum peruenerunt aetatem, pro re nata saltem de credulitate, iurare debere, lex Saxonica sancit. Satius utique est tutori, qui alias cum maiorennibus, loco pupillorum suorum, iurare tenebatur, iuramentum remittere, cum regulariter non nisi credulitatis iuramentum praestare possit, & utique graue esset, quendam pro alio iurare cogere. Praeter causam scilicet necessitatis, cum qua restrictione, si *Actus in L. 4. de in lit. iurand.* locutus esset, supra §. 18. nihil monuissemus.

§. XXII.

DE Tutoribus sapienter ita constitutum est, primo: quod & aduersario contradicente ad iuramentum credulitatis admitti debeant. Nam & pupillus, si ad iustam aetatem peruenerit, non aliter quam de credulitate poterit iurare, adeoque ista contradictione nihil aliud lucrabatur aduersarius, quam ut lis traheretur, quam moram nostrorum temporum iustitiae promouendae studium nequiquam fert. Deinde non praetermittendum, iudicis arbitrio relictum esse, si causae praegnantibus adsint, iuramenti praestationem, usque dum pupilli vel impuberes Litis Consortes annum decimum octauum impleuerint, differre. Quare si causa talis sit, ubi pupilli, vel litis Consortes impuberes meliorem notitiam rei habent, quam tutor ceterique litem communem habentes, ita, ut de veritate aliquando ipsi iurare possint, summo iure iuramenti praestatio suspendetur. Tertio: Tutorem etiam, pro ratione circumstantiarum, forte, si facti notitiam habeat, de veritate iurare debere. Quarto: Haec etiam valere de Curatoribus furiosorum & absentium. Et denique, si tutores iuramentum non praestiterint, id pupillis vel ceteris litis consortibus damnosum esse non debere. Siquidem in fauorem alicuius introducta, in illius detrimentum detorque-
ri non debent. Atque haec quidem in praesenti
sufficiant.

ULB Halle

004 503 04X



3

TA 706 01-12
din







B.I.G.

Farbkarte #13

DISSERTATIO ACADEMICA 56
 QVA 20
 SINGVLARIA QVAEDAM
 CAPITA DOCTRINAE
 DE 1729 17
 IURE IVRANDO
 IN SPECIE
 DE
 IVRAMENTIS MINORVM
 ET IMPVBERVM

PRAESIDE
 GODOFR. LVDOVICO
 MENCKEN Jcto

ACADEMIAE H. T. RECTORE MAGNIFICO
 ET ORDINIS ICTOR. PRO-DECANO
 PANDECTAR. PROF. PVBL. CVRIAE PROVINC. SCABINATVS
 CONSISTORII ECCLESIASTICI ET FACVLT. IVRID. NEG.
 NON IVDIC. DVCAL. IN MARCHIONATV DVSAT.
 INFERIORIS ASSESSORE
 IN ACADEMIA VITEBERGENSI 8
 AD DIEM XXIII SEPT. MDCCXXIX.
 DEFENDET
 CONSUVETIS IN AVDITORIO IVRIDICO

AVTOR-RESPONDENS
 CHRIST. FRIDR. FREISLEBEN
 GLAVCHA-SCHOEMBVRGICVS.

VITEBERGAE, LITTERIS GAEBERDTAE, VIDVAE.

